

ront hoc uti , qui censem , statim a morte cœlestis Regnum a Justis iniri . Et profecto quum Latro petat a Redemptore locum in ejus Regno , Christus vero ei *Paradisum* illo ipso die polliceatur ; omnino videtur idem locus sub diversis nominibus nobis exhibitus . Verum , ne quid dissimilem , *Paradisi* appellatio apud Patres non tam liquida est , ut certam & inconcussam ejus significationem ad præsentis controversiae decisorem trahere liceat . Incongruum quippe nonnullis vistum est , in cœlestem Regiam fortunatum hunc Latronem invehere ante Christum ipsum , qui quadraginta tantum diebus post Resurrectionem suam illuc ascendit . Præterea quum triduo Anima Christi a Corpore sejuncta in inferis piorum sedibus versata fuerit : quei tempore illo Latronis Anima facta est cœlestis Regni compos ? Hæc tamen alios , eosque longe plures , minime absteruerunt , quin sub *Paradisi* vocabulo significante deliciis resertam mansionem , *Paradisum Cœlestem* , siue supremum Beatitudinis locum designatum censuerint . Christus enim inquit : *Mecum eris hodie* . Non illudit , sed confirmat Latroni spem Regni , & quidem accipiendi non sero , sed posquam beata Anima sua Corpore soluta fuerit . Neque opus fuit , Animam Latronis in Cœlum invehere statim . Etiam ad inferos descendens Christus , Limbum Patrum convertit in locum inæstimabilis felicitatis . Et ubi Cœlum recogites , certe ibi divinitate Christus præsens erat , atque inde , qua Deus , numquam recessit . Ad ista accedat Apostoli verbum , magni in hac quæstione faciendum . Nimirum 2. ad Cor. xii. 2. testatur , se raptum usque ad tertium Cœlum , atque insuper se raptum in *Paradisum* , ubi audivit arcana verba , quæ non licet homini loqui . Quicunque scopum Pauli attente considerat , ejusque sermonem recte perpendit , numquam sibi persuadeat , raptum fuisse Apostolum in *Paradisum* terrestrem Adami , sed quidem in summum Cœlum , atque in Beatitudinis sedem ; ibique ineffabilia sibi a Deo revelata : ita ut , si quis forte veterum minus honorifice de *Paradiso* scripserit , in Limbum Patrum , atque in inferioris terra partes illum conjiciens , ab eo abscedere cogatur . Certe plerique Interpretum a primis Ecclesiæ Sæculis ad nostra usque tempora , inter quos & Hammondus Britannus , *Paradisi* vocabulo indicatum censuerunt Cœlum ipsum , ubi in deliciis æternis Beatorum animæ Deum intuentur , atque ejus Gloria fruuntur . At de hoc uberioris infra .

Ancipitis quoque significationis nomen est *Sinus Abrahæ* . De hoc etiam infra agetur . Inter ea de Lazaro paupere legimus Luc. xvi. 22 . Factum est autem , ut moreretur mendicus , *U* portaretur ab Angelis in *Sinum Abrahæ* . Mortuus est autem dives , *U* sepultus in Inferno . Elecans autem oculos suos ; quam esset in tormentis , vident Abraham de longe ; *U* Lazarum in sinu ejus . Quæ eo in loco Dominus tradit , aperte prodont , Divitem in tormentorum loco fuisse , Lazarum vero in aliquius Felicitatis regione , in quam Angelorum ministerio fuerat deportatus . Præterea sunt , qui arbitrantur , *Sinus Abrahæ* significare non quem-